



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

3. An iuramentum extrajudiciale ex natura sua confirmet contractum? An verò tantùm ex dispositione juris humani?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

3. Juramentum autem defertur vel litem decidendæ causâ, vel extra litem, contractuum, negotiorumq; confirmandorum gratiâ. Quod extra litem negotiis firmamentis interponitur, ex natura sua vim confirmandi contractum non habet, quia ex natura sua solum habet, ut obliget ex virtute religionis, nempe ut verum esse id præstet pro quo DEUM quasi fidejussorem & testem adhibuisti, hoc autem solum fieri potest, etiamsi ipse contractus & promissio se nullam vim aut robur habeat: ex natura rei enim, quando fidejussorem adhibes contractui, si sit de se nullus, non accipit valorem aut firmitatem ex adjuncta fidejussione: atqui juramentum promissionum aliud non est, quam fidejussio divina, quæ licet obligationem maiorem adferat quam humana fidejussio, non tamen imputat naturam contractus magis quam humana. Et præterea id clarè cernitur in juramento de usuris solvendis, quod promissionem non facit esse in se validam, & tamen obligat, non ex virtute Justitiæ, sed religionis tantum: *Vasq; de testam: cap. 3. dub. 2. Suar: de juram: lib. 2. cap. 29.* Unde si juramentum

mentum vim aliquam habeat ad confir-
mandum contractum, sine dubio id habe-
bit ex dispositione juris humani: pro cuius
quæstionis decisione: an scilicet jus huma-
num dederit ei aliquod particulare privi-
legium ad hunc effectum producendum.

4. Refero sententiam comunissimam:
nempè contractos irritos principaliter
ob favorem publicum, juramento non
confirmari; quando tamen secundariò
prohibentur ob publicam utilitatem, pri-
mariò autem ob utilitatem privatorum,
juramento confirmari. Hæc quidem quo-
ad illa verba communis est, nam pleriq;
dicunt confirmari juramento: sed non a-
deò communis quoad rem significatam,
nempè secundum eam significationem,
ut scilicet eo accedente contractus fiat va-
lidus in se, & in ratione contractus, ita ut
sublatâ obligatione juramenti maneat
adhuc obligatio contractus: nec enim hoc
exprimunt ita clarè DD. Tenet tamen in
hac stricta significatione, Panor. *l. cum con-*
ting: de jurejur: n. 8. & q. 2. n. 9. fundamētum
sententiæ suæ desumens ex parte jurantis,
quod nullus privatus possit renunciare fa-